

Bibliothèque numérique

medic@

**Francier, Michel - candidat / Pietre,
Nicolas - président. - An Diarrhoea
Hydropi ?**

1614.

Paris

Cote : ms 74 n°475

475

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVATIONIBVS

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. IANVARII, MAGISTRO NICOLAO PIETRE
DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Diarrhoea Hydropi?

IN ALVVM corporis totius sentinam vndique humores excrementitij, aqua nimirum, pituita, & bilis vtrâque confluunt per venas, quæ ex vniuerso corpore producantur eò omnes. Illic si subsistant, obstructions plurimas (quibus infame est mesenterium) febres intermittentes, hydropas pariunt: inde si effluant, vel variè per corporis habitum disperguntur, & scabiem, lepram, tumores generis omnis, arthritidem progignunt; vel effunduntur forasque prodeunt vomitu, diarrhœa, cholera; vt hi tres affectus humorum duntaxat motu distinguantur, cetera consimiles sint. Præstat diarrhœa, quippe quæ innoxie superfluos humores expurget, quâ deest, per intestina scilicet excipiendis excrementis dicata, cum, vomitu conuellatur ventriculus, cholera penè exoluatur. Atque ille, cibi promptuarium cum sit, humorum illuuii sordere nequit citra noxam; vt emeticis, præcipue metallicis, temerè non sit exagitandus.

EFFLVIT PER ALVVM cibus, chylus, vel humor. Cibi effluuium leienteria dicitur; chyli cæliacus affectus; at humor vel alimentarius, isque sanguis, habetur, vel excrementitius. Sanguinis deiectio cum torminibus dysenteria est: excrementitij humoris sine dolore effusio, diarrhœa. Effundit humorem natura vel morbus; illa in ægri salutem, hic in perniciem; vt salutaris diarrhœa habenda sit, quam natura mouerit, critica cuiusmodi dicitur, quod morbum iudicet & soluat; perniciosa illa, quam produxit morbus, symptomata appellatur, quod morbo accidat & accedat quasi morbus alter. Expellit natura consentaneum duntaxat humorem tempestiuè, morbus alieno tempore, vel alienum exturbat. Non tamè expers periculi critica diarrhœa, quæ exupetat, diutiusque persistit; prorsus exitialis, si vires desint. Symptomata est, quæ ineunte morbo contingit; at illa quandoque non adeò nocet, imò iuuat.

ST HABETVRQVE medicis hydrops quiuis aquarum cumulus, suum tamen sibi fecit etiam apud medicos hydropis nomen ex aqua tumor, tum cutis, tum abdominis, ille intercus dicitur (qui à cachexia omninò distinguitur) hic ascites, si aquæ subsit plurimum; sin flatus superet, tympanites; vt inter vtrûque pertineat sit discrimen. Semel erumpit quandoque aqua è venis critico abscessu, suopteue impetu, nullo prægresso morbo; sæpius stillat sensim & assiduò. Perennis huius aquæ fons iecur calidâ itémque frigidâ intemperie malè affectum, vt suum sanguificationis munus administrare nequeat, sanguinis loco aquam fundat & effundat in venas. Iecoris temperiem (in qua vis naturæ omninò posita est) labefactat liberalior cum meri, tum frigida potus, itémque omnis præter modum & naturam excretio, solennis vacationis suppressio; præterea febris, inflammatio, scirrhus tum iecoris ipsius, tum lienis, cæterorumque viscerum, vt hydrops aliàs solitarius existat, aliàs comitatus sit iecoris labe.

VI EX MORBO prodit hydrops, siue recens fuerit, siue inueterarit, grauis, atque eò grauior, quò morbi vis fuerit acrior, vt ille grauissimus habendus sit, quem causus genuerit, non leuior is, quem quartana produxerit. Plenus periculi ascites, periculosissimus intercus. Denuntiat in ascite periculum rufus, in intercute frequens animi deliquium. His cum accesserit *anæmia*, carniū præcipue fastidium ingens, spes salutis est omninò adempta. Leuis & momenti ferè nullius hydrops, quem simplex aquarum collectio peperit, vt ille duntaxat remediis cedat & sanabilis sit.

HYDROPS morbus non facile euincitur; quæ enim iecori semel infederit labe, deleri nequit; vix etiam aut ægrè inter initia hydropi occurritur. Non sanat hydropem emissus humor, hydropicum potius tollit, nisi ille solitarius sit, natura valeat, sintque illa viscera. Expurgatâ tum aquâ, cutis, abdomen omninò subsidunt, soluiturque demum hydrops. Expurgandæ aquæ ratio hac arte ineunda, catharsi, phlebotomiâ, crassior illuuiis viscerum cum exhausta fuerit, ducenda & deducenda diureticis aqua in vesicam, hydragogis prolicienda in intestina, hidroticis in summam euocanda cutem. In ascite primo etiam quòque tempore emittenda per ventrem paracentesi. In intercute incidenda cutis scalpello, vt vulncribus veluti stillicidiis exudet aqua quæ exundat. Sed has omnes artes natura superat, cum aquosam illuuiem aluo diarrhœa solutâ, profundit.

Ergo Diarrhoea Hydropi.

Asserebat Lutetiæ MICHAEL FRANCIER Compèdiensis. A. R. S. M. DC. XIV.

DOMINI DOCTORES DISPVATVRI.

M. Nicolaus Hemaull,
M. Philibertus Guilbert.
M. Ioannes Pietre.

M. Ioannes Cousin,
M. Hieronymus Goulu Prof. Reg.
M. Symphorianus Hautin.



M. Simon le Tellier. Med. Reg.
M. Richardus Martet.
M. Simon Bazin.